

2.  
/.  
/.  
2.  
3  
/.  
/.  
/.  
2.





1658.

1. <sup>1</sup> G. C. Happell, Johannes Siegfriedus: De factis ac  
<sup>2</sup> eorum jure. 3 Exempl. 1658: 1747.

2. Thommannus, Johannes Martinus: De jure lega-  
torum.

1660

1. Becker, Johann: De occupatione venatoria  
jus demum jure

2. Klein, Mauritius: De correis credendi et debendi.

3. Tuercke, Hermann Otto: De jure repraesentationum.

1664

1. Abrahamus, Ludovicus: De jure protimiseos  
sen retractus.

2. Thommannus, Johannes Martinus: De instrumentis  
in genere.

1663.

1. Eubnerus, Johannes: Diversa juris themata.

2. Holtermannus, Arnoldus Mauricius: De nuptiis



1663.

3. Huch, Eberhardus: De subhastationibus

4. Tiadens, Siecus: De consuetudine

1665.

1. Beyer, Johann Adolphus: De unione prolium

1666.

1. Repterus, Johannes Daniel: Diatriba de oblatione

1668.

1. Brandt, Johannes Georgius: De investitura feudis.

2. Grappius, Ericus: De accessione continua naturalis.

3. Muttermannus, Arnoldus Mauricius: Von der Einlassung  
vor Gottes Gericht in Bürger & Pöndchen Sachen.

1669.

1. Becker, Johann Nicolaus: De alimentorum fraus,  
actione

1670

1. Schotten, Johannes Mauricius: De cessione bonorum.

2. Wanschafft, Johann Caspar: De arresto seu jure  
sistendi.



un-  
te  
g.  
ing  
ms  
un  
u





1663

1. Hübner, Johann : De sublimitatibus

2. Trinius, Johann : De conchyliis

1664

1. Beyer, Johann : De natura p[ro]prietate

1665

1. Richter, Johann : De natura delectatione

1666

1. Brandt, Johann : De rebus p[ro]prietate

2. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

3. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

4. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

1667

1. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

1668

1. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

2. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

3. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate

1669


1. Richter, Johann : De rebus p[ro]prietate













Gent. 4. n. 30. 3.

6

DISPUTATIO JURIDICA.

DE

JURE LEGATORUM.

QUAM

DIVINA ASSISTENTE GRATIA

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, ac Consultissimo

DN. IOHANNES

HARTMANNO KORNMANNO,

J. U. D. ac Antecessore in inçlyta Academiâ

MARPURGENSI Celeberrimo,

Fautore atq; Præceptore suo etatem

venerando,

In Augusto Jctorum Auditorio

Publicæ Eruditorum Censuræ submittit


ANDREAS FRIDERICUS MAGIRUS,

BERLINENSIS

AUTHOR ET RESP.

Addiẽm Septembris horis consuetis.

Annoreparatæ salutis. M. DC. LVIII.



MARPURGI CATTORVM.



Ex Chalcographiâ SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Monsieur le Baron d'Geiden

1658, 2

4

168







ILLUSTREM ET MAGNIFI-  
CÆ GENEROSITATIS HEROEM,

DN. OTTONEM

LIBERUM BARONEM DE SVERIN,  
Dynastam in Landtsberg, Oldenvvigshagen,

& Drewitz; &c. Electoratus ac Marchiæ Brandenbur-  
gensis Camerarium hæreditarium, Serenissimo & Potentissimo  
Electori Brandenburgico à Consiliis intimioribus & Feudalibus  
Primarium, Directorem omnium Cancellariarum, & Cameræ, ut  
& Serenissimæ Electricis Aulæ Præfectum supremum, ac Oura-  
nienburgi Capitaneum &c.

DOMINVM MEVM GRATIOSISSIMVM

*Cum Augustarum Felicitatum Voto*

*Humillima exigua dissertationis*

*inscriptione*

Observantiæ testandæ

Favorisq; impetrandi

*Ergo,*

Submissè veneratur

TANTOQUE MECOENATE

*sese suaq; omnia*

*perpetuum debere percipit.*

Illustris & Generosissimæ ejusdem Magnificentiæ

*Devotissimus Servitor*

ANDREAS FRIDERICUS MAGIRUS.





I N. D. N. J. C.

**P**ertractaturus Nobilissimam Legationis Materiam, non immorabor, (quod plerique asolent) operosiori materia commendationi, quae sanè adeo illustris & utilis visa fuit quàm plurimis, iisdemq; precipuis & Ctis Conrad. Brun: Alber. Gentil. Joann Hottoman; aliisq; ut de eâ scripserint ex professo, eandemq; posteritati lautè, ubertimq; satis commendarint. Nec dissimulandum, sed ultro concedendum, inter omnia Reip. munera, quae sunt innumera, non ullum, sive officii necessitate & utilitate, sive rerum gerendarum causarumq; magnitudine, varietate, difficultate, sive eorum qui gerunt, prudentiâ & consilio, sive dignitatis honorisq; splendore ac amplitudine, cum illustri & honorificò Legationis munere conferri posse. Unde meritò facibus Solem adjuvare supersedeo, quòd supervacui impendii & laboris esse, jam olim prudenter satis Anacletus Pontifex rescripsit, c. si omnia. c. 6. q. 1. Sed misso prolixiori praeloquio, ad ipsam prædicta materiae enodationem, me accingo, non omnia Legatorum, & in specie non virtutes, & dotes seu animi, seu corporis, ad Politicum quippè quae spectant, sed JURA Legatorum duntaxat, & haec quidem ipsa Stylo non Oratorio, sed disputatorio, perspicuo tamen



& puro, quantum quidem Ingenii mei imbecillitas admittere, persecutus. Tu, o supremum Numen, ceptis clementer aspira, & fac, ut felici pede currant, feliciore decurrant, ad Tui gloriam, & Reip. Salutare, & Egregium!

THESIS I.

**E** Nimvero JURA LEGATORUM nec tradi rectè, nec tradita intelligi solidè queunt, nisi prius *Legatus* ipse, Hujusq; natura & constitutio fuerint explorata. Sic igitur Disputationem omnem, ejusque structuram adornabo, ut primò *Legatum* ipsum, hujusque naturam & constitutionem, per *Definitionem*, *Divisiones*, *Causam efficientem*, *Subjectum*, *Objectum* & *Formam*, seu *Modum* mittendi adumbrem: Deinde LEGATORUM JURA, per adjuncta *Privilegia*, & *Officium*, delineem.

I I.

Definitio est vel Nominis, vel Rei.

I I I.

Definitio Nominis *Legati* absolvitur evolutione *Etymologia*, *Homonymia* & *Synonymia*.

I V.

*Etymon* *Legati* quod attinet, hoc variis variam est. Verissimum, quòd ita dicatur à *Legando*, quia sc. legatur, seu ablegatur: hoc est mittitur. Unde & Germanis *Ein Gesandter*. Illud vero *Varronis lib. 4. de Ling. Lat. & Carol. Paschali in Legat. c. 1.* quòd *Legatus* dictus sit ἄρτο λέγειν, à *legendo*, quasi *lectus*, ad rem potius allusio est, quàm vera *Etymologia* seu *Notatio*: appositissima tamen, & ipsa lectæ hujus appellationis prærogativâ demonstrans excellentiam pulcherrimi muneris. Ut scitè deducit *Paschal. d. c. 1.*

V.

*Acceptio* non minùs est varia, docentibus, è multis aliis, vel *Alber. Gent. de Legat. lib. 1. c. 1. & seqq. Kirchner. eod. tr. lib. 1. c. 2. Bofold. ibid. c. 2. n. 2. & Arnif. d. Jur. Maj. Lib. 2. c. 5. n. ultimo.* Duplex tamen potissimum, vel scil. *Latior* & *impropria*, quâ in *Tit. Legati* olim tributus est *Magistratibus Provincialibus* aut *Bellicis*, *Legato v. c. Cæsaris l. 1. & l. 2 g. ff. de*



*ff. de off. Praesid. & ProConsulis, Rubr. & t. t. ff. & C. de offic. ProCons. & Legat. & hodiernum tribuitur Nunciis Apostolicis illis, qui Legati à latere, Legati nati, legati missi vocantur. Rubr. & t. t. X. de offic. Legat. & Rubr. & t. t. de offic. Legat. in 6. qui tamen omnes Legati veri & propriè dicti non sunt; tùm quòd ad summi Imperii compotem non mitantur, tùm quòd munus eorum conjunctum sit cum Jurisdictione & Imperio. d. d. Textib. cùm Legatus verus, quà talis, expers sit omnis Jurisdictionis, expers Imperii, ita, ut ne in Familiam quidem & comitatum aliter, quàm familiae disciplina & correctio permittat, animadvertere possit: l. s. §. 3. l. 6. ff. ad L. Aquil. l. 5. ad l. Corn. De fio. vel Strictior & Propria, quâ in solum designat Eum, quem summi Imperii compotes inter se mittunt; Brun. de Legat. l. 1. c. 3. Besold. d. c. 2. n. 1. Arnst. d. l. Grot de J. B. & P. l. 1. c. 18. n. 2. & hujus posterioris acceptionis Legatus est is qui Disputationem hanc occupat.*

V I.

Qui idem etiam plura alia sortitur *Synonyma*. Modò scil. dictus ORATOR, Brun. l. 2. c. 1. Kirchner. Ibid. l. 1. c. 2. n. 9. & seqq. Paschal. Ibid. c. 2. Besold. Ibid. c. 2. n. 1. modò INTERPRES, Gentil. d. tr. l. 1. c. 2. Kirchn. d. c. 2, n. 13. modò MINISTER & NUNCIUS. Gentil. d. tr. Paschal. d. l. Besold. d. l. modò denique & quidem omnium frequentissimè, hodiè præsertim, AMBASIATOR Germ. AMBASSATOR. de cujus postremæ appellationis ratione, post Marquard. Freher, Ad Petr. de Andlow. l. 1. c. 12. vid. omninò Besold. d. l.

V I I.

Definitionem *Nominis* excipit *Definitio REI*. Definitur autem hætenus, cum sanioribus omnibus, & mihi Legatus, quòd sit *Mandatarius, publico Negotio conficiendo, solenniter missus, ab eo, qui potestatem legandi habet, ad alium ejusdem potestatis.*

V I I I.

DICÒ I. quod Legatus sit *Mandatarius*. Et hoc nimirum est *Genus*, uti proximius, sic verissimum & accommodatissimum. Est enim species quædam mandati Legatio. Unde non potest non sequi, quòd is, qui tale mandatum suscipit, Legatus scil., sit mandatarius, Kirchn. hic l. 1. c. 1. n. 2. 4. 5.



DICO II. quòd *Publico Negocio conficiendo solenniter missus sit ab eo, qui Potestatem legandi habet, ad alium ejusdem Potestatis.* Hoc est, à summæ & absolutæ potestatis Principe aut Rep. ad parilis conditionis Principem aut Remp., verbo ut dicam, à *Majestate ad Majestatem.* Ut enim Legati, secundum *Ciceron. in Vatin. in f. sunt. Nuncii Pacis & Belli, Curatores, Interpretes, bellici Consilii autores, muneris provincialis, & imò in genere rerum publicarum Ministri:* sic nesciunt quoque mitti ab alio, quàm penes quem summa omnium harum rerum potestas est, hoc est, *Majestas:* quippe quæ est summa in civitate ubiq; potestas, ita definiente jam olim *Aristot. 3. Polit. c. 6. 7.*

Et in hisce modo dictis & quadantenus explicitis vertitur *Differentia Legati specifica,* eundem & constituens, & distinguens ab omnibus aliis non Legatis, aut non verè saltem talibus. Per missionem quidem factam à *Majestate ad Majestatem* distinguitur non tantum à Legationibus, quæ sic vocantur, *Officiosis,* missis ad gratulandum, ad dolendum, & id generis reliqua peragenda, ut describit *Tacit. l. 5. Annal.* sed insignum subjectionis plerumque *Kirchn. h. l. 1. c. 2. n. 7. 8. & seqq. Besold. Ibid. c. 2. n. 4.* Verum etiam generaliter ab omnibus istis, qui vel ab inferioribus & subditis ad Principem, olim dicti *Legati provinciales* de quibus in *Tit. ff. & C. de Legat. hodiè Deputati Germ. Abgesandten* vel à Principe, aut alio superiore ad subditos, aut Inferiores alios, de Negocio quamlibet publicò mittuntur, vulgò dicti *Commissarii. Alb. Gentil. h. l. 1. c. 2. Kirchn. Ibid. d. l. 1. c. 1. n. 18. & seqq. Paschal. Ibid. c. 13. & Besold. d. l. PUBLICI* autem *negocii confectio* secernit Legatum à Legatione, quæ ita audit, *Libera,* autoritate quidem Majestatis, aut ejus, penes quem est Majestas, publicâ, sed à privato, ad privatum negocium & commodum, susceptâ *l. 14. ff. de Legat. junctâ l. 36. & l. 42. ff. ex quib. Caus. Maj. in Integr. restit.* olim quidem apud Romanos frequentatâ sapissimè, teste *Cicer. l. 3. de Legib. & Godofred. ex Dd. COMMUNITER* in *d. l. 14. ff. de Legat.* at hodiè ab ulu remotâ, ceu autor est *Paschal. h. d. c. 13. & cum hòc Besold. Ibid. d. c. 2. nu. 3.* Missio denique *solennis* à Legati nostri commercio excludit omnes eos, qui, sine pompâ & strepitu, quamvis à Majestate ad Majestatem & Publici negocii causâ, mittuntur

tur



toti Quales v. c. sunt 1. *Nunci* ita dicti in specie quos vulgo, Courriers vocant. 2. *AGENTES*, die *Agentem*. 3. *RESIDENTES*, die *Residentem*. 4. *MISSI* secreto & privato sub habitu, ut occulta Negotia tractent, & occultè, quæ prodita suspicionem aliis præberent sinistram. Cui muneri Mercatores *Paschalius*, Cappucinos autem, Jesuitas, aliosque Monachos *Besoldus* maximè putat idoneos, & plures denique alii de quibus vid. *Hottom. h. c. 1. Kirchn. Ibid. d. l. 1. c. 1. n. 23. 24. & c. Idem cap. 2. n. 18. & seqq. Paschal. Ibid. c. 3. 4. 5. 7. & Besold. c. 2. n. 6. 7. 8. 9. & 10.* In cæteris uberiores Definitionis explicationem suppeditabit expositio *Causæ Efficientis, subjecti, & reliquorum capitum.* Quam intersectis tamen sub *Thes. seqq. Legati Divisionibus*, de hinc aggredior.

X I.

*Divisiones*, uti Legatio, sic Legatus patitur varias. Quemadmodum perspicuum evadit, vel è *Brun. h. c. 13. Gentil. Ibid. c. 5. 6. & alibi. Kirchn. Ibid. l. 1. c. 2. & Besold. Ibid. c. 2. n. 11. & 12.* Mihi hic nobiliores, & famosiores duntaxat, vel libasse sufficiat. Et est nimirum I. Legatus vel *Fogatus* vel *Bellicus*. Ille, qui ad Exteros, idque vel honoris vel alterius alicujus Negotii causâ mittitur *Kirchn. d. c. 2. n. 2. 4. 5. & 6. Besold. d. c. 2. n. 12.* Hic qui ad Hostes, belli, aut Negotii alicujus bellici gratiâ, mittitur. *Kirchn. & Besold. dd. ll.* In specie dictus *Fœderalis & Caduceator*. de quib. vid. *Paschal. h. c. 3. & 4. junct. Besold. c. 2. n. 9. & 10.*

X I I.

II. Legatus est vel *Temporarius*, seu *Extraordinarius*, vel *Perpetuus*, seu *Ordinarius*, qui etiam *Residens* nonnullis dicitur. ILLE, qui in certam aliquam Occasionem aut Negotium mittitur, redire jussus, simul atque Negotium demandatum confectum est. *Gentil. h. l. 1. c. 5. Kirchn. Ibid. l. 1. c. 2. n. 17.* Quales olim omnes ferè Legatos fuisse, perpetuorum usu priscis seculis adhuc incognitò, notat *Hottom. h. c. 1. n. 2.* Hic, qui non ad Definitum, certumq; negotium, sed ad tempus sive certum sive incertum, ita mittitur, ut, dum in Legatione degit, omnia tractet, faciatque, quæ fuerint è re mittentis *Gentil. & Kirchn. dd. ll.* Et si autem sint, qui posteriorem hunc è Legatorum verorum classe eliminatum, inò damnatum penitus eant, tanquam exitiosum ei, ad quem mittitur; abusi etiam è *l. 4. C. de Commerc. & Mercat.* vid. *Paschal. h. c. 77. Keckerm. disput. Polit. 33. q. 4.* nihil tamen agunt, refutante satis & Expe-



Experientiâ, praxique omnium gentium communi, & ipsâ etiam Legationis hujus naturâ, quæ reciproca est. Ut vel hâc ratione facilè declinentur pericula & incommoda, quæ mirum in modum exaggerat *Paschal. d. l. conf. Besold. h. d. c. 2. n. 11. inf.*

X I I I.

Causa Legati efficiens est vel *Principalis*, vel *minùs*, & in specie *Impulsiva*. I I L A rursus vel *Remota*, vel *Proxima*.

X I V.

Efficientem Principalem *Remotam* ipsæ Gentes & earum Jus constituunt. Statim enim, cum discretæ Gentes, Regna condita, dominia distincta fuere, Legationis exstitisse nomen indubium est, vel inde, quòd non potuerit non fieri, quin inter eos, inter quos aliqua communio Juris erat, utpote inter Gentes, Resp. atque Reges, officia & Negotia intercederent. Et istæ verò Personæ plerumque convenire recusant, sæpiuscule non possunt, certè ipsæ Civitates plane nequeunt. Per necessarium igitur fuit, ut alii constituerentur, qui eorum Personas referendo, id agere possint quod incumbat: cum eos, qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios posse vel agere, vel conveniri, in consimili causâ *Ulpian. in l. 32. ff. de Procurat.* disertè doceat. Non solum, inquam, per necessarium fuit, tales aliquos constitui, sed etiam reapse communi omnium Gentium consensu sunt constituti, per institutum *Legatorum*. Quod non inter Romanos demum natum, sed etiam ante eos, jam olim inter alias Gentes, imò secundum *Isidorum l. 4.* sub primo jam Rege *Belo* viguit, & hodiènum viget inter ipsos etiam Barbaros, *Turcas*, v. c. *Russos*, *Tartaros*, *Mauros*, & alios. vid. post alios *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 18. n. 1. & in Not. ibid.* evidentissimo certè argumento, illud non Civilis, sed Gentium Juris esse, vel per *§. 2. Inst. de J. N. G. & C. Fac. omninò l. ult. ff. de Legat.*

X V.

Causa verò efficiens principalis *proxima* sunt ii, qui, actu ipso, Legatum mittunt. Competit autem Jus mittendi Legatum, in genere, quidem & *Thesi MAJESTATI*, vel ei potius, penes quem residet Majestas in Rep. secundum tradita *suprà thesi 9.* Unde & Juribus Majestatis accensetur communiter *Bornit. de Maj. l. 2. c. 5. n. ult. Besold. Polit. c. 4. n. 29. Arn. Clapm. de Arc. rerum publ. l. 1. c. 18.*

XVI.



## XVI.

In specie verò, & hypothesi, aut quæritur de Imperio Romano, aut de aliis extra illud regnis & Rebuspubl. si de Illo, distinguo. Imperium enim Romanum, est vel vetus, vel modernum, & Romano-Germanicum. In Imperio Romano Vetrri, & quidem sub statu ejusdem Politico, seu populari, Jus mittendi Legatos vindicabat sibi universus populus Romanus, vel ex ipsius Ciceronis, testimonio, l. 3. de Legat. ita hoc exprimentis: *Legationes cum senatus creverit, populus jussit, ex Vrbe exeunto.* Sub statu Monarchico Princeps, seu Imperator Romanus, utpote in quem, Lege latâ Regiâ, populus Romanus omne suum Imperium & Potestatem (adeoque & Jus mittendi Legatos) contulit. §. 6. I. De l. N. G. & C. l. 1. ff. de constit. Princip. Quamquam primi Imperatores Augustus & Tiberius hoc Jus, ut alia multa, non immediatè protinus, sed per Senatum exercuerunt. Ut è Dion. l. 55. & Sueton. in Tiber. notavit Arnseus d. l. & Clapm. d. l. conf. Besold. h. c. 3. n. 6.

## XVII.

Quod verò ad Imperium modernum Romano-Germanicum atinet, in eo Jus mittendi Legatos, missosve ab aliis audiendi, non est solum Imperatoris, sed totius Imperii, hoc est Imperatoris, & reliquorum Imperii statuum simul. Quippè quorum omnium suffragium & Consensum Comitalem & liberum, ILLE, ut in negotiis Imperii publicis & communibus aliis, Bello v. c. Pace Fœderibus & similibus. Vid. Capitulat. Imp. Caroli V. Ferdinandi II. III. IV. & moderni Imperatoris Augustissimi LEOPOLDI Artic. 10. 13. 16. & passim junct. Pacific. Osna-brugg. Art. 8. sic in Legationibus quoque expediendis, adhibere, necessitate præcisâ tenetur. Legatum enim circa Negotia publica, Pacis præsertim & Belli, velut proprium Objectum, versari, jam supra Thesi 9. præmonitum est, & docebitur infra, §. 32. Atque ita in Imperio nostro non hodiè demum, aut nudius tertius, sed jam olim constanter & immotè observatum fuisse, à superiorum temporum actis & ipsis Imperii Recessibus patet luculentissimè Patet, inquam, vel à Legatione illâ duplici, unâ in Moscoviam, Anno 1576. alterâ in Belgium, ad componendas ibidem turbas, Anno 1594. & 1608 Imperii Nomine destinatâ. Quarum utraque non à solo Imperatore, sed simul etiam à statibus Imperii reliquis, aut horum saltem Deputatis, in Comitibus, decreta & instructa legatur

B

gitur





gitur. In *Recess. Imperii. de Anno 576. §.* Was dann den Ersten Pur-  
 ren & *seqq. de Anno 594. §.* Fürters aber & *seqq. & de Anno 1603*  
 als wir dann von den Andern & *seqq.* Quemadmodum de eo Imperii  
 communi missi quoque aliunde Legati nunquam privatim, à solo Im-  
 peratore, sed in publicis Imperii conventibus auditi sunt. Exemplo  
 sint vel Legationes Pontificiæ, de quib. in *Recess. Imp. de anno 518. §.*  
 Erstlich als Päpstliche / & *de anno 542. §.* Als dann auch, nec non Re-  
 gum Hungariæ & Poloniæ de quib. in *Recess. Imp. de Anno 1500 Tit.*  
 Wie man mit denen Königen zu Hungern und Pohlen.

XVIII.

Planè sub *thes. preced.* quæ dicta sunt, exaudiri velim de Legatis  
 veris & propriè dictis, qui de Negotio Imperii communi mittuntur,  
 Jure Majestatis. Nam de re seu Negotio particulari, Jure & privilegio  
 antiquæ Libertatis, superioritatis territorialis, & Regalium, Legatum  
 ad alios, cum intra, tum extra Imperium, vel Ablegatum potius mitte-  
 re, missumvè recipere, quivis etiam ex *Ordinibus*, seu *Statibus Imperii*  
 potest. Potest; inquam, non minùs, quam pro suâ, suorumque conser-  
 vatione & securitate, sive cum Statibus Imperii aliis, sive etiam cum  
 exteris pangere Fœdera, secundum *Aur. Bull. Tit. 15. Recess. Imp. de An-  
 no 1595 Tit. Handhabung des friedens. §.* Auch sollen wir. & vel imprimis  
*Pacificat. Osnabrugg. Art. 8.* Ad quod quidem Ministerium &  
 Operam Legatorum apprimè, imò pernecessariò desiderari in propa-  
 tulo est. Facit omninò *l. 2. ubi Dd. Commun. ff. de Jurisdic.* Hinc tam  
 frequentes, tamque splendidæ, & olim visæ, & hodiernum visuntur Le-  
 gationes. seu Ablegationes tum *Ordinum & Statuum ad Status & Ex-  
 teros, tum Exterorum ad Status.* Imò hinc Statuum Legati in ipsis etiam  
 Imperii Comitibus non solum admittuntur, sed & Legatorum Nomine  
 insigniuntur disertè hinc indè in Imperii Recessibus. *R. A. de anno 1500*  
*Tit. Wie man mit etlichen Ständen des Reichs. R. A. de anno 1524. §.*  
*Item Nachdem die baten. R. A. de anno 1551. §.* Nemlich daß sich bis-  
 hero. & alibi passum.

XIX.

Quod Juris Statibus Imperii in genere asseruit *Thesis precedens*,  
 ejusdem in specie, *Liberas* quoque *Imperii Civitates* esse participes, non  
 est, cur quis ulla ratione subdubitet. Sunt enim & Ipsæ status Imperii  
 in scri-





inscriptæ non solum matriculæ Imperii, sed etiam gaudentes Jurè sessionis in Comitibus & suffragiis, non consultativi modò, ut Opinionis, nescio quo, errore statuunt *Caspar Ens Thes. Polst. lib. 1. Apotelesm. 6. Arum. de Comit. c. 7. n. 147. & alii*, verum & decisivi. Ut, præter rei notorietatem, & expressa Recessuum testimonia omnium solidissimè & irrefragabiliter probat, omnem penitus scrupulum eximens *pacificatio novissima Osnabruggensis, Art. 8. §. tam in Universalibus*. Si Status, etiam omnium statuum Jura participant. Inter quæ eminent Jus Fœderum, & huic arctissimè cohærens, mittendi Legatos. Ipse mihi *Arumans* hic suffraganeus, qui Imperialium Civitatum Legatos, cum Imperatoris Electorum & Principum Legatis, ad Exteros mitti, testatur ad *A. B. dis. 1. §. 8. conf. Dn. Schük. colleg. publ. de Stat. Rei Rom. Disputat. 8. §. 23. lit. m.*

X X.

Illud magis in ancipiti est, An Hansaticæ civitates hoc Jure polleant? Non pollere, vult, & enixè contendit *Non nemo in Tr. de Legat. c. 3. n. 56.* eodemque, in effectu saltem, collimant, quæ contra ipsum Civitatum harum Fœdus operosè & acerbè satis disputat *Waremund ab Ehrenberg Lib. 2. de Fœd. c. 4. n. 45.* sed potius est, ut ipsis quoque Jus hoc attribuatur cum *Bortio ap. Arum. Tom. 1. Discurs. 14. Th. 8. Michael Rasch dis. de Legat. & Legation. Th. 26. Besold. h. c. 3. n. 4. & aliis.* Vel inde, quòd harum potissimæ sint Immediatæ Civitates & Status Imperii, quibus Jus Fœderum, & huic connexum, mittendi Legatos. *Th. præced. sine dubiò competit, & adeo citra iniquitatem denegari non potest arg. §. 2. l. de his, qui sui vel al. juris. l. 11. ff. d. R. 7.* Uti nec Mediatis: quæ illarum Jure hætenus censentur & sustinentur *Arg. l. 39. ff. de Vulg. & Pupillar.* Accedente præsertim immemoriali temporis præscriptione, præsumtoque Principum Consensu, ac confirmatione imperatoriâ. Quam posteriorem egregiè adstruunt tradita à *Rasch. d. l.* Atque inde eas subindè Legatos ad IMP. Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, Sueciæ, Moschoviæ, magna cum æstimatione non solum ablegasse, sed etiam vicissim ab illis recepisse, cum antiqua, tum recentior Historia refert. Contraria dissentientium diluunt solidè *Besold. l. Wurms. exerc. Acad. 4. q. 6. & Limn. de I. P. lib. 9. c. 1. n. 79.* quorum scrinia non compilo. Confer *Rumelin ad. A. B. p. 1. dis. 4. Th. 34. Carpzov. de Capit. Cesarcæ c. 6. n. 22.* & vel imprimis *Der vereinigten Hanse Stät.*

B 2

11





te/verantwortung/ daß der Bhralte Hansische Bund vor eine verbotene Liga übel angezogen vnd außgeruffen worden.

XXI.

Si verò de *aliis*, extra Imperium Romanum, *Regnis & Rebuspublicis* quærat, mihi quidem nullum penitus dubium sedet, quin omnes isti seu Reges, seu Respublicæ, qui quæve summæ potestatis & Imperii compotes sunt, superiorem hisce in terris non recognoscen-tes, quales. v. l. c. sunt Reges *Gallia, Hispania*, & similes, necnon Respu-*blica Veneta & hodie Fæderatum Belgium*, Jus mittendi Legatos & propriè quidem obtineant. Quicquid etiam hac de re senserint, aut hodiè sentiant *alii*. Quorum pars Regibus & Rebuspublicis aliis Jus hoc *non improprie*, & ad imitationem Imperatoris, pars verò *improprie* penitus competere asserunt. Illò scil. omnes nixi fundamento, quasi Majestas, (& sic Majestatis Jura) soli Imperatori propriè competat. Quod verò, quam à principiis Politicis sanioribus, imò ab omni vero sit alienum, dudum prolixè & solidè demonstratum dedit *Arnif. de Jurib. Maj. lib. 1. c. 2.* Plane ne Ipsi quidem Imperatores Romani hoc, sed contrarium eo ipso asseruère, dum non liberis solum ab Imperio Romano Gentes, sed etiam earum Legatos agnovère, & pro talibus, sanctissimè respexère. Ut ex Legibus relucescit clarissimè imprimis *l. ult. ff. de Legat. l. 19. in Pr. ff. de capt. & postlim. revers. l. 4. C. de Commerc. & Mercat. & l. 8. C. de Vectig. & Commiss.*

XXII.

Illud sanè ad Jus mittendi legatum non refert cujuscunque sit *Religionis*, Is, qui mittit, Nec enim diversa inter diversos Religio, societatis humanæ dissolvit aut tollit Jura & vincula. Inter quæ facillè præcipuum Jus ultro citroque mittendorum & recipendorum Legatorum. Hinc à *Catholicis*, quos vocant, vel *Pontificiis* admittuntur Legati qui à *Protestantibus* mittuntur, & vice versâ. Ipseque *Pontifex* summus *Anglos* & alios recipit: Nemo recusat *Turcarum* aut *Russorum* Legatos. Et hoc quidem meritò, nec sine sacræ Vetustatis exemplo. Nam & *Josnam* ad diversissimæ Religionis homines, & *Salomonem* ad *Tyri* Regem, Legationem misisse, missamq; recepisse legimus. Vide *Kirch. h. lib. 1. c. 2. n. 87. & seqq. Besold. Ibid. c. 3, n. 5.*

XXIII.



X X I I I.

Cæterùm vel ex dictis liquet, qui Legatum mittere non possint. Nimirum omnes ii, quibus Majestas, aut saltem potestas eidem proximè subordinata, ejusdemque æmula, superioritas territorialis, quæ audit, non est. Quales v. c. sunt subditi & merè quidem tales, imò & Reges Bello solenni victi, Regnoque exuti, Piratæ & Latrones aliique, quorum Cathalogum texuit *Kirchn. h. lib. 1. c. 3. Besold. ibid. e. 3. n. 5. Grot. de J. B. & P. lib. 2. & 18. n. 2. Conf. Autor. de Jure & Jud. Fœcial. quod est inter Gent. part. 2. Sect. 4. q. 7. & Paschal. h. c. 11.*

X X I V.

Causa denique Efficiens *impulsiva* est magnum illud, *seneca* ef-  
fato, imbecillitatis humanæ Patrocinium, *necessitas*. Nulla enim curiositas Legationem invenit, nulla voluptas, sed sola necessitas. Imbecillitate quippe & sorte humanâ regnantes eo Legatos mittere asolent, quò se ipsos conferre commodè nequeunt. Horum diligentiam in Rem præsentem, quamlibet longinquam, perducunt, alieno Ore cogitatè loquuntur & commodè, atque ita, alienâ sapientia, ut ait columen sapientia, *Salomon Prov. c. 25. v. 13. 14. & seqq.* subducunt se ingentibus periculis. Eà re *Mardonius* haud inscitè irridet deliramenta Græcorum, qui malebant sese Bellis collidere, quam mittendis ultro citroque Legationibus coalescere, teste *Herod. lib. 7. hist.* Et sanè quod homini est loquela, hoc sunt Imperio Legationes; nempe quarum ope perferuntur hinc inde preces, questus, denuntiationes, consilia, & quicquid illud est, quo Ratio amat usurpare, ne res deducatur ad manus. Hoc consilium *Sylla Archelao Præfecto Mitridatis* dedit. *Si Regi, inquit, injuria facta est, æquius fuit, questum mitti Legatos ad Senatum, quam impetu iræ aliena, & sevitiâ intendi in jugulum tot innocentium.* *Appian. Alex. Mitrid.* Ac Legationibus quidem in Republicâ nihil esse antiquius, nihil conducibilius, nullus est qui dubitet, suadet easdem, & comprobat sententiam nostram communis fere omnium Politicorum opinio. Planè enim non est consultum, ut Reges in colloctionem ipsi veniant, cum periculosus semper esse soleat congressus Principum. *Richt. ax. Pol. CCCCXXXII. Tholosan. lib. 4. de Republ. c. 10. p. 225.* Exemplis iisdemque memorabilibus præ aliis diduxit *Comineus*, scriptor gravissimus, qui præsens fuit spectator, cum *Ludovicus XI. Gallia Rex, & Carolus*





rolus Burgundus, mutuis colloctionibus de Pace inter ipsos facienda  
Consilia Peronæ agitent. Qui conventus quantam Ignominiam at-  
tulerit Ludovico, disertè deducit prædictus *Cominaus in Commentariis*  
*suis de Rebus gestis Ludovici XI. & Caroli Burgundi, in fin. lib. 2. &*  
*pr. lib. 3.* ad quem Lectorem, uberius relationis avidum remitto, qui  
ibidem aliis exemplis fusiùs docet, *que bien tard un Prince se doit met-*  
*tre sous la main d'un autre, ny aller chercher son secours en personne.*  
Quod enim Princeps per alium potest, præsertim extra suum Territo-  
rium, non per se ipsum faciat; Præsentia semper minuit eam, quam quis  
de se ipso excitavit opinionem atque Famam. *Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 6.*  
*p. m. 727. 728.* qui pluriina ibidem exempla subjungit.

X X V.

*Subiectum* Legationis, Constituunt *Persona*, seu Legati ipsi, qui  
mittuntur. Ubi tria potissimum se expedienda, offerunt. 1. *Quinam?*  
2. *Quales?* 3. *Quotnam* numerò, mitti possint, aut debeant?

X X V I.

Quantum ad *primum*, mitti possunt omnes qui non prohiben-  
tur. Prohibentur autem Jure quidem *Romano*, omnes isti, quibus Jus  
postulandi non est; *l. 4. §. 1. ff. de Legat. quales qui sint? vid. in l. 1. & seq.*  
*ff. de postuland.*

X X V I I.

In *specie* de duplici potissimum hominum genere hîc disquiritur.  
Et nimirum 1. *An Fæminis* quoque legationes mandari possint? de Ju-  
re *Romano* non posse expeditum est. Nam nec postulandi Jus habent  
pro aliis *d. l. 1. §. 5. ff. de postul.* Et præterea, non ipso tantùm sexus pu-  
dore, sed etiam Lege remotæ sunt ab omnibus officiis civilibus & pu-  
blicis. *l. 1. C. quando mul. off. Tut. l. 1. C. de Procurat. l. 2. ff. d. R. 7.* inter quæ  
facilè palmarium est illustre Legati munus. Quandoque tamen neces-  
sitas rem eò deducit, ut sicut aliis, qui nullam Reipublicæ partem atti-  
gerunt, ita vel fæminis quoque Legationes mandentur, ad conjunctas  
præsertim sanguine personas, quarum vix quisquam Conciliator esse  
potest magis idôneus, quàm Matres, sorores, filia. Mandatas certè ab  
ipsis nonnunquam *Romanis* fuisse, exemplis compluribus demonstrant  
*Ho. tom. 1. l. c. 2. nu. 33. & Paschal. Ibid. c. 20. Conf. Besold. Ibid. c. 4. nu. 1.*  
& *Ant.*



& Auth. Tr. de fur. inter Gent. d. l. q. 9. Petr. Arod. ver. judic. lib. 10. Tit. 15. c. 21.

X X V I I I.

II. Disquiritur: Utrum *Religiosi*, quoque & *Clerici*, ad Legationes civiles obeundas sint adhibendi? Adhibitos fuisse jam olim, & hodiernum adhiberi ab *Hispanis* præsertim, locuples satis testis est experientia, & exemplis compluribus firmant *Comin. lib. 8. c. 16. Petr. Matth. hist. Gall. lib. 1. del Hist. de la Paix. à Princip. & Besold. h. c. 4. n. 4.* nec inconveniens illud esse post *Brunum. h. lib. 8. c. 3.* censet *Besold. d. l.* Imò *Thomas Campanella* Politicus ingeniosus, personas Ecclesiasticas omnibus negotiis adhibendas suadet, quòd magis prudentes cauti que sint, & ob cælibatum, affectibus privatis minus indulgeant. Sed alienè hæc omnia ab instituto *Apostoli*, monentis, ut nemo Deo militans, secularibus negotiis se implicet. Alienè quoque ab ipsis *Canonibus Ecclesiasticis*, ne Monachi vel Clerici temporalibus negotiis se immisceant, severè precipientibus. Quantò Christianiùs & magis piè hac de re senserit, *Paschalius*, videri potest in ejus *Legat. c. 19. circa fin.* Conf. omninò *Trajan. Bocal. relat. ex Parnas. cent. 1. relat. 35. Piccart. obs. Polit. Decad. 9. c. 6. & Aut. Tr. de l. inter Gent. d. l. q. 8.*

X X I X.

Quantum vero ad *secundum*, quales scil. mitti debeant? illud utique certum est, & vel notatio Legati *Varroniana*, de qua *supra Thes. 4.* satis hoc edocet, mittendos esse *Leetissimos* & præcellentissimos dotibus fortunæ corporis & animi. Sed quia thema hoc, velut *Ethicum*, vel *Politicum* potiùs, ab instituto meo jam sequestravi in præmio, hic non exerro. vide qui totum id exhausere funditus *Alberic. de Legat. lib. 3. Kirchn. Ibid. lib. 1. c. 4. Paschal. Ibid. c. 15. 16. 17. & 18. Besold. d. l. c. 4. n. 2. 3. 5. 6. 7. Junct. Comin. lib. 1. comment. & Barclaj. in Argen. lib. 5.*

X X X.

Quantum denique ad *Tertium*, quot scil. numero mitti possint, aut debeant? Id quoad Legatos quidem *Provinciales* & *Municipales* definitum est, *Vespasiani* edicto. Quod nimirum, ne sumptibus nimis Civitates onerarentur, vetuit plures esse quam tres *l. 4. in fin. ff. h. t.* Aliàs verò nec definitum est, nec facilè definiri potest. Sed totum pendet ab arbi-



arbitriò sive Principis, s. Senatus. Qui Legationibus obeundis, aliquando singulas adhibet personas, aliquando plures, pro conditione negotii, aut dignitate eorum, ad quos mittuntur. Exemplar vid. ap. *Gentil. 2. lib. 3. c. 2. Paschal. ibid. c. 9. Besold. Ibid. c. 4. n. 9. & Aut. Tr. de Jur. int. Gent. p. 1. Sect. 4. §. Legationibus*. Quancumque tamen sint, qui mittuntur, unus semper est qui totius Legationis caput & Princeps constituitur. Cujus nimirum in eo vertitur officium, ut mandata exponat, responsa accipiat, & quicquid in negotiis mandatis dicendum est, reliquorum Collegarum consilio & Consensu, dicat, *Brun. h. lib. 2. c. 14.* ita scilicet omnium semper Gentium consensu obtinuit, demonstrante *Besold. d. l. & Aut. Tr. de Jur. int. Gent. d. l.* imò idem nostris quoque moribus convenire, asserit & multis exemplis illustrat *Kirchn. lib. 3. c. 6. n. 36. & seqq.*

X X X I.

Prorsus, quamvis unam eandemque Legatum recte etiam plures obeant, <sup>consensu</sup> unus tamen duas pluresve Legationes, & eorum quidem, qui loco, & Imperiis; Rebusque discreti sunt, suscipere, susceptasve obire nec commodè potest, nec debet. Vel indè, quòd hoc præcipuè desideretur à Legato, ut asserat jura, tueaturque Majestatem ejus, cujus est. Id quod nec quicquam facere posset is, qui induit duas personas, quarum neutra ita concolor est, ut alteri non sit, uspiam discolor. Ut egregiè ratiocinatur & loquitur *Paschal. h. c. 8.* Faciunt omninò *l. 8. §. 2. & l. 10. ff. h. t.* Hæc ita de Legationibus veris & propriis. Nam Legationes municipales, quamvis pluriùm, uni simul dari posse constat, præsertim si hoc sumptus, & itineris compendium suadeat. *l. 16. ff. h. t. vid. Alber. h. lib. 2. c. 6. & c. 22. Hottom. Ibid. c. 3. n. 11. & Besold. Ibid. c. 4. n. 8.*

X X X I I.

Quid verò, si quis subditorum legi quidem & mitti velit, aut debeat Legatus, sed Legationem subire pertinaciter detrectet, Anne hic cogi poterit, ut Legationis onerosum munus, quamlibet invitatus suscipiat? Utiq̃ue poterit; per textum rotundum in *l. 4. §. ff. h. t.* ut rationes, & argumenta eximia alia taceam, quæ suppeditant textus in *l. 18. ff. & l. 55. C. de Decur. l. 36. ff. ex quib. caus. Maj. in Integr. l. 15. 16. & 17. ff. ad Municip.* Modò malevolè, & sine legitima aliqua excusatione detrectet. Nam qui modestè sese excusat, & deprecatur, ejus utiq̃ue rationes audiendæ sunt. quænam autem, Jure Romano, præbeant justam à Lega-



à Legationis munere sese excusandi causam? tradunt *Kirchn. h. lib. 1. c. 5. in fin. & Besold. dict. c. 4. n. 14.*

X X X I I I.

*Objectum* Legationis sunt Res, quas Legati tractant, & quarum causa mittuntur: quæ quidem sunt aliæ nullæ, quam *negocia publica*, vel vi definitionis Legati traditæ & expositæ *supra Th. 7. 8. & 9. PUBLICA*, inquam, hoc est, rem, non Legatorum, aut aliorum propriam & privatam, sed totius Reipublicæ aut Imperii communem, immediatè & proximè concernentia. *Arg. §. ult. J. de J. & J. junct. l. 15. 16. & 17. ff. de V. S.* Unde quidem ultrò & pronò, quod dicitur, alveo profluit, rei suæ privatæ causâ missum Legatum, verum & propriè talem non esse. Quem proinde à Legati nostri consortio removi jam *suprà dictâ Th. 9.* imò *Lege 12. tabularum* talem mitti legatum, vetitum fuit diserte his verbis: *Rei suæ ergo ne quis Legatus esto.* Inque hos Legatos sæpiusculè, atque adeò acerbè invehitur *Cicero*, ut asserat nihil esse turpius, quam quenquam legari, nisi Reipublicæ causâ. Quamquam non solum apud populos alios, sed etiam apud *Romanos* sæpissimè decreta fuerit ejusmodi Legatio, quæ tum dicebatur *libera*, ut apparet ex *l. 14. ff. h. t.* & textibus aliis laudatis *suprà d. Th. 9. vid. Gent. h. lib. 1. c. 6. & Aut. tr. de Jur. in Gent. p. 2. Sect. 4. q. 10.*

X X X I V.

An tamen, publici negotii causâ, missò Legato privata quoque aliorum negocia suscipere liceat? *Negatur* oppidò. Vetat enim Majestas ejus qui mittit, cui id non potest non esse dehonestamento. Vetat etiam expressa Juris Romani sanctio in *l. 8. & l. 10. ff. h. t.* & gravem hanc in re lapsum Regii alicujus Legati ad Cæsarem notant *Hottom. h. c. 3. & Paschal. ibid. c. 8.* causas tamen subditorum Domini mittentis hinc eximit *Besold. h. c. 4. n. 8. in fin.* Nec id quidem ex re, ut patet ex traditis à *Gentil. Advoc. Hispan. lib. 1. c. 18. & Aut. tr. de Jur. int. Gent. p. 20. Sect. 4. quest. 16.*

X X X V.

Porro, ut duo sunt Rerumpublicarum sive Imperiorum tempora, Pacis & Belli, *proem. Inst.* sic publica quoque negocia, alia sunt *Pacis*, alia *Belli*. ILLA vel in honore consistunt & officio, cujus gratiâ mittuntur Legationes, quæ sic dicuntur, *Gratulatorie*, quarum etiam in Sacris  
C extant



extant vestigia, 2. *Sami* c. 8. & 10. vel in alio aliquo negotio, amicitias putà contrahendis, aut Veteribus renovandis, conciliandis inter Reges nuptiis, societatibus ineundis, commerciis promovendis, & quæ sunt similia alia, conf. *Brun. h. lib. 1. c. 13.* *Kirchn. ibid. c. 2. n. 4. & seqq.* & *Besold. ibid. c. 2. n. 12.* Hæc vero Bellum vel *antecedunt*, ut Consultatio de Inferendo bello, vel *concomitantur*, aut *incidunt*, ut bellum indicare, inducias petere, auxilium postulare, deprecari, frumenta & annonam militarem comparare, aliorum societatem ambire, vel eosdem ab hoste avertere, &c. Vel denique *sequuntur* ut Pacem facere, Pacis conditiones exequi, &c. *Besold. d. l.* Et hinc *divisio* illa Legati in *Togatum & Bellorum.* de quâ *supra Th. 11.*

### XXXVI.

Ad *objectum* quoque Legationis pertinent *persona*, quibus & ad *quas* Legati mittuntur. Mittuntur autem, aut mitti possunt Legati veri & propriè dicti tantum & unicè ad eos, qui summam in Republicâ suâ Potestatem, uno verbo, *Majestatem* obtinent: seu *Reges* illi fuerint, seu *Optimates*, seu *Populus* secundum tradita *supra Th. 9.* Et vel hinc sequitur Legatos veros & propriè tales non esse, qui vulgo dicuntur *Commissarii*, & imò in genere eos, qui, quamvis à Majestate ad alios superiorem recognoscentes mittuntur. Quos ea de causâ, merito suo, à Legati nostri communione seclusi, *supra dictâ Th. 9.* conf. *Hottom, h. c. 4.* & *Paschal. ibid. c. 11.*

### XXXVII.

*Forma*, seu *modus* mittendi Legatum, consistit in missionis *solemnitate*: ex defin. data: sub *Th. 7.* Quæ quidem vel *Substantialis* vel *Accidentalis* Illa absolvitur *MANDATO*, *Hæc* circumstantiis *aliis.*

### XXXVIII.

*MANDATUM* est aliud nihil, quam ejus qui Legatum mittit de negotio gerendo jussus & commissio, arg. *l. 1. in pr. §. 1. & 2. ff. Mandati*, junctis traditis à *Wesenbec. in π. ibid. n. 2.* Estque vel *Definitum*, vel *Absolutum* & liberum. *ILLUD*, quo certi alicujus, & definiti Negotii gerendi potestas conceditur *Kirchn. h. c. 7. n. 23. Aut. tr. de Jur. int. Gent. part. 1. Sect. 4. §. Legatorum autoritas.* *HOC*, quo id, quod *Reipublicæ*



publicæ expedire videbitur, agendi libera potestas permittitur. Quomodo olim *Phanoas & Democles* ab *Aetolis* ad *Romanos* missi, eâ potestate, ut quod ad bonum publicum faceret de eo bonâ fide libera statuerent: Quomodo etiam *Carolus* Dux Burgundiæ, referente *Cominæo*, Legatis suis liberam potestatem fecit, subscriptione Nominis chartæ vacuæ, ut quid è re videretur, agerent, & inscriptione auctoritatis suæ, si opus esset, apud *Ludovicum XI.* Galliæ Regem confirmatam ostenderent. *Aut. tr. de Jur. int. Gent. d. l. conf. Kirchn. d. l. n. 26. & seqq. Paschal. c. 21.* Utrumque rursus est vel *Apertum & Manifestum*, quod scilicet ita præscribitur, ut si opus est, ad dubitationem tollendam, coram iis, ad quos Legatus missus est, proferri possit: vel *Arcaum & Occultum*, quo nimirum modus & finis tractandi secretò Legato præscribuntur, & quandoque aliud, quàm quod in publicis mandatis continetur, præcipitur. Quomodo Legatos à *Romanis* olim in Græciam, alio quidem prætextu, occultè autem ad dissipandum corpus *Achaorum* missos legimus. vid. *Paschal. d. l. & Aut. Tr. de Jur. Gent. d. l.*

### X X X I X.

Qualecunque autem sit Mandatum, seu Definitum, seu Absolutum, Legati anima est; sicut omnis alterius Procuratoris aut Mandatarii *l. 1. ff. de Procurat. & alibi passim.* Cujus speciem quandam esse Legatum constat è traditis *supra Th. 8.* Dandum igitur Legato ante omnia mandatum. Et dandum quidem ita, ut per illud Legatum se probare possit ei, ad quem mittitur. A mandato enim omnis ejus fides penderet & auctoritas: ut ait *Aut. Tr. de Jur. int. Gent. d. l.*

### X L.

Sed quomodo Mandatum hoc, & ipsa consequenter Legatio probari possit & debeat? Quæstionis est. Et aliorum quidem negotiorum probatio regulariter non solum instrumentis, sed etiam testibus expediri potest, *l. 15. ubi Dd. comm. C. de Fid. Instr.* Sed Legati mandatum hic degenerat. Quod ad sui probationem literas præcisè desiderat. In tantum, ut sine literis mandati, Legatus nec admittatur, nec audiatur, sed, Re infecta Domum redire jubeatur. Et id jure quidem meritò, suffragante hætenus auctoritate Juris, quâ Civilis, *in l. 1. C. de mandat. Princ. junct. l. 5. C. de Jure Fisci. & l. 2. C. de Collat. Fund. fiscal. quâ Canon-*



nonici, in *extravag. Communib. C. Injuncta. & seqq. de Electione.* Vid.  
*Brun. h. lib. 1. c. 8. & Kirchn. Ibid. lib. 1. c. 6. n. 5. 6. 7. 10. 11. & seqq.*

*X L I.*

*Literæ* verò illæ, quibuscum Legatus mittitur, aut saltem mittendus est, sunt *duplices*; vel scilicet conceptæ in *rem* Legationis, vel in *Personam* Legati, secundum *Brun. h. lib. 1. c. 11.*

*X L I I.*

In *rem* Legationis conceptæ literæ, sunt aut *Mandati*, aut *Instructionis*. Quarum *ILLÆ* continent ipsum Mandatum, hoc est, mittentis jussum & commissionem de Negotio gerendo. Suntque instar vinculi, quod obligat Legatum, mittentem, & illos denique qui cum Legato nomine mittentis, egerunt & contraxere, ut scite deducit *Kirchn. h. lib. 1. c. 7. n. 18. & seqq.* Hæ autem mandati continent explicationem, suntque aliud nihil, nisi libellus, sive Commentarius, quo Mittens, rei quam mandavit gerendæ rationem & modum, formamque & Ordinem mandati exequendi præscribit *Kirchner. d. l. nu. 20. & Paschal. h. cap. 21.*

*X L I I I.*

In *personam* vero Legati conceptæ literæ, sunt aut *Commendatorie*, aut *Fidei*, quas vulgo vocant *Credentia*, creditiv, oder *Credenz Schreiben*. Illæ sunt, quæ Legati personam commendant iis, ad quos mittitur petentes, ut eò, quo par est, loco habeatur, iisque tractetur modis, quibus justum est, & æquitativ consentaneum. Hæ verò, quibus Mittens testatur, Legatum à se missum, & quod Legati nomine egerit, se ratum & gratum habiturum: *Kirchn. d. l. n. 21. Aut. Tr. de Jur. Int. Gent. part. 1. Sect. 4. §. Legati autoritas.* Quamvis utraq; jungi posse videantur, & verò etiam sæpissimè, imò plerumque jungantur.

*X L I V.*

Hasce igitur Literas si in promptu habeat & exhibeat Legatus, plenissima eidem constabit fides & autoritas. Quid autem, si postulatus à sese literas Legatus exhibere detrectet, An tum adigi poterit ad eas exhibendas? distinguo: aut enim quæritur de literis in personam Legati conceptis, *Commendatitiis* scil. & *Fidei* sive *Credentia*: & hæ cum personam Legati habilitent, necessariò utique, & vel ab invito exhibendæ sunt,



sunt, vigore traditorum *supra* *thes.* 37. & 38. aut verò quæritur de literis in rem Legationis conceptis, *Mandati* nimirum & *Instructionis*: & ad has exhibendas cogi neutiquam poterit. Nam quisquis à suis eas attulit Literas, quas modò dixi, *Fidei* sive *Credentiæ*, & sic sese habilitavit, quicquid loquitur aut agit, Mandatis contineri creditur. Unde quamvis promentis inspicere Mandatum & Instructionem supervacaneum, poscere immodestum extorquere impium & hostile facinus est, ut graviter loquitur *Paschal* *h.c.* 59. Scilicet, ut est Legati, bona fide annunciare ea, quæ attulit, sic ejus ad quem mittitur, est, dare ei libertatem Orationis. Ne dum indulget nimix curiositati, imprudens violet Jura mundi. *Paschal*. *d.l.* confer *Besold*. *h.c.* 7. *n. 5.*

X L V.

Plane, ut maximè Legati, ad edendas literas mandati, aut instructionis, à nemine cogi possint, dantur tamen nonnunquam casus & causæ, quibus ut ipsimet suâ eas voluntate edant, & promant, necessè est. exemplo *Phanea*. *Ætolorum* ad Romanos Legati. Qui cum tandem defuisset in hæc verba, *Ætolos se suq, omnia fidei populi Romani permittere*: Consulque ad ea, *etiam atq, etiam videte Ætoli, ut ita permittatis*: Tum is decretum, quo id difertim expressum erat, protulit, *Livius Lib.* 26. Quanam autem sint causæ istæ. vid. ap. *Paschal*. *h. c.* 60. *Besold*. *Ibid.* *d.l.*

X L V I.

Solennitatem missionis *accidentalem* Circumstantiis ejusdem aliis absolvi, dixi *supra* *Th.* 37. spectant autem *circumstantia* istæ 1. Legati *Comitatum*. 2. *Viaticum*, 3. Ipsum Legationis *splendorem* & *Magnificentiam*, consistentem in Legatorum *habitu*, & *Ceremoniis* in Legationibus adhiberi solitis. De quibus omnibus Consuli possunt *Kirchn.* *h. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 53. & *seqq.* *Paschal*. *c.* 32. 33. & 34. *Alber. Gentil.* *Ibid.* *lib.* 1. *c.* 2. & *seqq.* *Levag.* *Ibid.* *c.* 8. Mihi hic omnia exequi & persequi nec libet, nec licet, ob modum, quem mihi posui *in proæmio*. Et hæctenus quidem de *natura* & *constitutione* Legati.

X L V I I.

Succedunt Legatorum *Jura*, quæ concernunt eorundem vel *adjuncta Privilegia* vel *Officium*.





XLVIII.

Privilegia habent vel *Foris* & inter *Exteros*, vel *Domi* & inter  
concives suos.

XLIX.

Quæ *Foris* & intra *Exteros* de Jure cum *Civili* tum *Gentium* ha-  
bent, & sibi vindicant *Jura* & *Privilegia*, sunt *quatuor* potissimum, &  
nimirum eorundem. 1. *Receptio* & *admissio* honesta. 2. *Audientia*. 3. *Di-*  
*missio*. 4. *Securitas*.

L.

*Admissio* & *Receptio* *Legatorum* *honeste* consistit in 1. *Occursu*  
*splendido*, 2. *Præparatione* & *assignatione* *hospitii* *condigni*, & 3. *Sub-*  
*ministracione* *commeatus* *necessarii*. *Gentil. h. lib. 1. c. 14. 15. & 16. Kirch.*  
*Ibid. lib. 2. c. 2. 3. Paschal. Ibid. c. 35. Besold. Ibid. c. 5. n. 1. & Aut. Tr. de Jur. int.*  
*Gent. p. 1. Sect. 4. §. Jus Legationis.* Et hanc *Legato* *deberi*, tam *certum* est,  
quàm *quod certissimum*. *Omni*um enim *Populorum* *moribus* *rece-*  
*ptum*, atque *adeò* etiam *Barbarorum* *Institutis* *comprobatum* esse, ut  
*honorificè* *Exteriorum* *Legationes* *exciperentur*, *Totilas* *apud* *Procop.*  
*l. 3. de Bell. Gothico* *affirmat*. *Qua* in *parte* *omnes* *facile* *alios* *superarunt*  
*Romani*, qui *constituta* *ad hoc* *munus* *peculiari* *Urbanorum* *Quæsto-*  
*rum* *diligentia*, quam *fieri* *potuit* *honorificentissimè* *missos* *ab* *exteris*,  
*senatus* *populique* *nomine* *dextra* *data* (quæ *amicitiæ* *nota* & *tessera*  
*habebatur*) *Tac. lib. 7. ann.* *introducunt*, & *introducunt* *in* *hospitium*  
*publicum* *deducebant*. *Alex. ab Alex. lib. 2. Genial. diem. c. 2.* *Imò* *hunc* *in*  
*Legatis* *excipiendis* *occursum*, *ab* *Exteris* *quoque* *Regibus* *usurpatum*  
*fuisse* *historiarum* *monumenta* *passim* *attestantur*. *Sic* *olim* *Pyrrhus* *E-*  
*pirotarum* *Princeps* *præpotens*, *Romanorum* *Legatis*, *redimendi* *capti-*  
*vos* *gratia* *missis*, *quo* *tutius* *venirent*, *Lyconem* *Molossum* *obviæ* *mi-*  
*sit*, & *quo* *honoratius* *exciperentur* *ipse* *advenientibus*, *cum* *Ornatissi-*  
*mo* *equitatu* *extra* *moenia* *occurrit*, *secundarum* *rerum* *proventu* *non*  
*adeò* *corruptus*, *ut* *officii* *prospectum* *in* *his* *deponeret*, *qui* *tum* *maxi-*  
*mè* *armis* *cum* *ipso* *dissiderent*. *verba* *sunt* *Valerii* *Maximi* *lib. 5. in*  
*Pyrrhum*. *Idem* *hodiernis* *etiam* *moribus* *in* *exceptionibus* *splendida-*  
*rum* *Legationum* *solenne* *esse*, *præter* *experientiam* *testatur* *Kirchn.*  
*h. d. c. 2. n. 14. & passim.*

L. I. Quod



L. I.

Quod si tamen *illa* non omnia fuerint omnibus ubique præstita, non tam ex neglecto jure Gentium, quam ex non observatis ritibus & moribus querelam pariunt, neque ob id violatæ Legationis, quis arguendus, quod minus splendide & magnificè hospitalitatis jura exercuerit, deducente notanter *Kirchn. d.l.n.48. & seqq.*

L. I. I.

Imò interdum ipsam quoque Legati admissionem seu denegatam planè, seu dilatam saltem, historiarum monumenta abundè testantur. Ita *Ætolis* à Romanis denuntiatum est, habitum Eos iri pro hostibus si Legati venirent. Et Legatis *Persei* dictum, non venturos tutò. *Cariolanus* interminatus est, pro exploratoribus se ducturum eos, qui adfuerit. An rectè, & salvo jure Gentium? Hoc de omnibus quidem istis non dixerim, sed & illud tamen fixum est, per ipsum jus Gentium licere quandoque Legatum non admittere. Ut enim de eo non dicam, quòd & quidem secundum jus Gentium, in alieno solo, invito Domino, nemo debeat subsistere, §. 12. *Inst. de Res. divis. & Testib. similibus.* Jus Gentium non omnes promiscuè Legatos admitti præcipit sed verat sine causa rejici, ut ait *Grot. de I. B. & P. lib. 2. c. 18. n. 3.* Et quòd si itaque justa fuerit causa non admittendi, putà, si vel ab hoste hostiumve socio, aut aliàs indigno veniat Legatus, vel causa mittendi suspecta sit, utique rejici poterit. Quomodò ex eodem capite *Melesippus* Lacedæmoniorum Legatus, authore *Pericle*, dimissus est extra fines agri *Atrici*, quod ab hoste armato veniret. Et *Senatus Romanus* negavit se *Carthaginensium* Legationem admittere posse, quorum Exercitus esset in Italia. Iidem denique *Romani* *Perseo* denuntiarunt, ne Romam mitteret, sed ad *Licinium*. Faciunt omninò. l. 3. ff. de Just. & Jure. l. 4. l. 45. § 3. ff. ad. L. Aquil. vid. *Gentil. h. lib. 1. c. 5.* *Paschal. ibid. c. 36. 41. & 42.* *Kirchn. ibid. lib. 2. c. 2. n. 93. & seqq.* *Besold. ibid. c. 5. n. 2.* *Grot. d. l. & Ant. tr. de Jur. int. Gent. p. 2. Sect. 4. q. 13.*

L. I. I. I.

Accidit etiam interdum, ut quidem Legationis & causâ salvâ, & Jure integro, non ipsa Legatio, sed Legatus saltem ob justam causam rejiciatur; Sic literatissimus ille Pontifex *Æneas Sylvius*, *Cæsar*is Legatum, quod esset dignitate Legationis obscurior, audire recusavit clariorem





ridem sibi remitti postulans. *Johan. Anton. Campanella in ejus vitâ.*  
Hic non ipsa Legatio, cum repulsæ robore, sed Persona Legati, tan-  
quam inutilis & ipsò Jure nulla, rejiciebatur. Ut enim Ecclesia vacare  
& sine Episcopo esse dicitur, quæ inutilem & inidoneum Episcopatum  
habet, *c. 2. §. sed neq. istud, de Trans. Episc. gl. ibid. in verb. inutilem, & vi-  
rum nullum habere intelligitur, quæ inutilem habet, Alciat. in l. ma-  
lum. ff. d. V. S.* Ita nec Legatio, illa justa, & solenniter instituta censenda,  
quæ non ex dignitate Legatum habet. Indigni tamen ejusmodi Le-  
gati rejectio & remissio, & si Juris Gentium Violationem nullam con-  
stituat, reprehensionem tamen tacitam, & imprudentiæ notam Domi-  
no qui misit, domum reportat, quòd eum miserat, qui mitti neque po-  
terat, neque debebat. Vid. *Kirchn. d. l. junctis Grot. & Aut. tr. de Jur. int.  
Gent. dd. locis.* Quod si verò non expressè monstrata fuerit ejusmodi  
causa rejectionis, ea pro nulla causa est habenda, semperque violatio  
Juris Gentium adversus Violatorem, & regulariter dolus adversus Au-  
torem præsumitur, *l. si non convitii, C. d. injuriis l. 2. C. ad. l. Corn. d. Sicar.*  
Legato enim suâ sponte adstant Juris Gentium favor, & privilegiorum  
satellitium, nec præsumitur ab illo injuriarum occasio nasci, à quo Jura  
nascuntur. *l. 6. C. unde vi.* nec Legatus contra Jus illud facilè quidquam  
designasse judicabitur in quò Anchoram & Præsidium omne reposi-  
tum habet. *c. ex eo. de R. J. in 6. Kirchn. d. l. n. 128. & seqq.*

#### L I V.

Illud etiam haud rarò fieri asolet, quòd, si bellum ingruat, Re-  
sidentes Legati remittantur. Sic Anno M. DXXXVII. ingruente in-  
ter Carolum V. & Franciscum I. Gallix Regem, bellò novò, Cæsareus  
Legatus honorificè dimissus, ac muneribus dotatus fuit, qui tamen cum  
rescivisset Regium Legatum à Cæsare noluisse munera acceptare, ite-  
rum ea, jam in itinere existens, remisit, teste *Bellaj. Hist. l. 6.* Idem ab Hen-  
rico IX. Gallix Rege factum legimus, Qui cum bellum moliretur adver-  
sus Sabaudum, remisit Hispanicum Legatum, etiamsi Rex Hispaniarum  
tum temporis non apertè foveret Sabaudi partes, dicens Legatos etiam  
in pace interdum suspectos esse, atque adeò absonum & ab omni pru-  
dentiâ alienum esse, iisdem tempore belli confidere. *Pierre Matthieu h.  
lib. 3. narrat. 3. n. 12.*

#### L V.

Secundò Legato ab eo, ad quem missus est, debetur Audientia.  
Quam



Quam rem iam sanctè etiam apud Veres semper custoditam fuisse, ut qui id officii neglexissent, in crimen negati concilii vocarentur, tradit *Brun. h. lib. 2. c. 7. in pr.* Tantum verò abest, ut id neglectum fuerit temerè, ut omnium potius Gentium more obtinuerit, petentibus Legatis Concilium s. Audientiæ diem & locum certum pro Personarum & negotiorum conditione, constituere. *Besold. h. c. 5. n. 5. Aut. tr. de Jur. int. Gent. p. 1. Sect. 4. §. Jus Legat.* Et hoc quidem, satis in proclivi est. Sed de eo dubitatur, Temporis electio penes quam partem esse debeat? Sunt, Qui Legato, sunt qui excipienti hanc tribuant. Et his posterioribus subsignare, tum Praxistum ratio jubent. Vid. *Gentil. h. lib. 1. c. 15. & Kirchn. ibid. lib. 2. c. 4.*

L V I.

Illud etiam hinc quæstionis, & quidem potissimæ est, An Legatus sive in audientiâ, sive in congressibus publicis aliis, Domini mittentis sessionem obtineat? Obtinere, verius est. Quicquid & quantumcunque reluctantur alii. Verius, inquam, vel per *Canon. præcipimus. dist. 93. can. magnum caus. 11. q. 1. & cap. solita ubi Felin. X. de major. & Obedient.* Et hæc quidem est Regula. Cui etiam mores & Praxis Gentium subscribunt. Sed eodem tamen patitur exceptionem I. in eò, ad quem Legatus missus est. Qui cum in ditione suâ superiorem non agnoscat, eum etiam eminentiori loco esse: æquum est, hancque in rem est textus in *A. B. Caroli IV. tit. 3. II. In Electoribus Imperii nostri Romano-Germanici; qui absentium non solum Electorum, sed & Rerum publicarum & Principum aliorum Legatis præferri jubentur disertè & in A. B. Caroli IV. tit. 25. §. pen. & in Capitulationibus Cæsareis Ferdinandi 3. art. 4. & moderni Imperatoris Augustissimi Leopoldi. art. 5. Idque etiam inter Principes imperii, quòd scil. præsentis, etiam inferiores, Superiorum Legatis præferantur, se animadvertisse, testatur *Brun. hic lib. 5. c. 8. confer Dan. Otto. de jure public. c. 11. Besold. hic c. 5. n. 6. Aut. tr. de Jur. int. Gent. p. 1. s. 4. q. 4. & dissentiens quodammodo Baschal. h. c. 33. & sequentibus.**

L V I I.

Cæterum quò loco & ordine Principes & Dynastæ ipsi inter se sedeant? & in universum Controversiam de Proædriâ, aut sessionis prærogativâ definire, hujus loci & instituti non est, videat tamen, cui vo-

D

lupe





lupe est, hâc de re *Besold. in tr. de Praced. & sess. prerogativâ. Limn. de Jur. publ. tom. 2. lib. 4. c. 9. & novissimè Graswinckel tr. de Jure praced. per tot.*

L V I I I.

Tertiò LEGATO etiam hoc debetur, ut honestè exceptus, tra-  
Status & auditus, honestè etiam iterum *dimittatur*. Quæ quidem *di-*  
*missio* duobus potissimùm absolvitur. 1. *Responso* ad Legationem expo-  
sitam. 2. *Muneratione* Legati.

L I X.

*Responsum* ad Legationem expositam Legato debetur *omnino &*  
*necessario*. Ei enim fini *Legatum* & mittitur, & admissus auditur, ut re-  
sponsum accipiat. Neque ullus Legationis poterit esse fructus, nisi Le-  
gatus mittenti expeditum de omni re responsum tulerit. Nil quic-  
quam denique est, quod majori aut fraudi & ignominia sit mittenti,  
seu misso, quam si sine responsò redierit: Quæ olim apud *Romanos*  
summa fuit ad advertendi severitas. Prudenter Aristhenes, Achæo-  
rum Prætor, apud *Livium*, inquit: *Satius est, non admittere, & audire*  
*Legatos, quam auditos sine responso dimittere*. quod quidem magnam &  
certissimam ferè insignis alicujus præjudicii opinionem parit. Præser-  
tim si in solenni conventu suam Legationem Legatus egerit. Vid.  
*Kirchn. hic lib. 2. c. 8. n. 17. & seqq. Paschal. ibid. c. 79. & 80. & Ant. tr. d.*  
*jur, int. Gent. p. 1. sect. 4. §. jus Legationis.*

L X.

Jure igitur suo Legatus responsum postulat, & urget. Ad certum  
tamen diem coarctare nequit; qui in Excipientis potius, quam mitten-  
tis arbitrio situs est. ut pluribus roborat *Kirchn. d. l. n. 6. & seqq.* Quic-  
quid olim contra egerit Popilius, à Populo Romano Legatus ad Antio-  
chum, referentibus *Livio lib. 35. & Plutarch. in apophi.* Cujus factum  
Romanorum potentia, non Jure Legationis niti, rectè pronuntiat  
*Kirchn. d. l. n. 24.* Scilicet petere & postulare est Legati, non imperare,  
ut patet è traditis *suprà th. 5. confer Paschal. d. c. 79.* Multò minùs Cor-  
nelianò illò gladiò, & minace verbo, *Hic faciet nisi vos feceritis.* *Sueton.*  
*in August.* responsum extorquebit. Vi enim, & gladii minis agere, non  
Legati, ac hospitis, sed hostis est. *l. Hostes, ubi Dd. comm. ff. de V. S.*

L X I.



Quâ autem formâ, seu modò sit dandum responsum? hîc tradere, nil attinet. Vide traditum & delineatum prolixè, & accuratè à *Paschal. c. 72. 73. 74. junct. Kirchn. d. l. n. 55. & seqq.* Interim illud saltem hic monendum, responsum dandum esse cito si fieri potest, hoc enim majoris gratiæ & benevolentîæ facit indicium, & responsi dilatio potentioribus pro contemptu habetur. *Ant. tr. d. Jur. int. Gent. d. l. Cito*, inquam, dandum, & *scriptum* quidem, non vivâ tantum voce editum: imò & *subscriptum* & *subsignatum* si moris sit apud eos, ad quos missus est Legatus. Sic suadet ratio & causa Legati, sic ejus, ad quem missus est Legatus. Cujus utriusque certitudini & securitati ita consulitur. Vid. *Kirchn. h. d. l. n. 62. & seqq. Brun. ibid. lib. 5. c. 22. Paschal. ibid. c. 80.* Nec viva vox sola, nec literæ solæ hîc suffecerint facilè, quanquam minoris alicujus imperii Legato, moris esse, ut dentur literæ, quibus inditum responsum, nec præterea quicquam perhibeat *Paschal. d. l.* Imò aliquandò responsum non iis, qui legatione functi sunt, sed per Legatos proprios transmittitur. quomodò *Alexander* Legatis *Darii*, ad se cum literis missis, & orantibus, ut Matrem, Uxorem, liberos dimitteret, responsum vivâ voce non dedit, sed *Thersippum*, unâ cum literis ad *Darium*, cum epistolâ, quâ ad literas Regis, & Legatorum postulata respondit, ire jussit. *Ant. tr. de Jur. int. Gent. d. l.*

*Munera* dare Legato, præcisâ quidem necessitatis non est. Usitatum tamen jam ab antiquo; etiam inter Germanos Veteres, *Tacitò teste de morib. Germ.* Germanos autem? imò omnes penè Gentes aliâs, licet barbaras. Ut solidè demonstrant *Kirchn. hic lib. 2. c. 6. n. 58. & seqq. & Paschal. ibid. 81.* Et hæc munera peculiari dicta nomine *Lantia*, aut *Xenia*. *Vayer de Legat. c. 12.* Ut ut autem multi, Legato, ejusmodi munera accipere, nefas esse, existimant, propter corruptionis periculum & suspicionem. Unde etiam sicut antiquâ Lege *Atticâ*, Sic hodiernum adhuc lege *Venetorum* capitale est Legato, munera accipere. *Arod. pand. rer. judic. lib. 10. tit. 15. c. 9. & Vayer d. l.* Ego tamen, eundem munera talia, salvò Legationis jure, & Religione, accipere posse, & debere, intrepidè & firmiter statuo, cum *Horom. h. c. 2. Brun. ibid. lib. 4. c. 9. Gentil. ibid. lib. 3. c. 20. Kirchn. d. l. & aliis. Potest*, quia munera, ut



dere, sic accipere quoque ex sese inhonestum non est, sed honestum potius, maximè si dentur à superioribus. Debet autem, quia, perrinaeiter recusare, vel rusticitatis, vel insolentia, vel certè extremi contemptus esse videtur. Neque periculò caret hæc repulsa. Faciunt bene *l. 6. §. 1. ff. d. bon. damnat. & l. 9. §. 3. ff. de Off. ProCons. & leg.* Modò munera dentur ab amico, & socio, & publicè quidem, nec non, post rem jam confectam, abiturienti. Sin vel ab hoste, vel privatim, vel inter ipsos adhuc tractatus: Vix est, ut licitè, & citra corruptelæ labem, accipiat. Atque in hanc sententiam, post multa acriter contrà disputata, ipse tandem condescendit *Aerod. d. l. ut & Besold. h. c. 6. n. ult.*

L X I I I.

Sed an Domini mittentis sint, an Legati, munera, quæ dantur? Quæri solet. *Moscovitarum* sanè Ducem redeuntibus ad se Legatis omnia eripere dona, & sibi vindicare, discimus è *Jovio in Basilio, & Sigismundo Baron. ab Eberstein in Moscovia.* Sed æquiùs & verius est, Legatorum esse. Tum, quia Legatorum contemplatione dantur: tum quia liberae sunt Personæ, qui sibi donata acquirere possunt, per *Jura notissima.* Hinc, cum *Fabius Gurges* & Collegæ, Romanorum ad *Ptolomæum* Legati, accepta ab eodem munera in ærarium inferrent, Senatus Populusque Romanus ea reddidit, & per Quæstores Legatis distribuit, referente *Valer. Maxim. lib. 4. c. 3. Confer Brun. h. d. c. 6. Hotoman. h. c. ult. Gentil. ibid. d. l. 2. c. 23. Kirchner. ibid. d. c. 9. n. 88. & seqq. Menoch. d. presumpt. lib. 3. presumpt. 27. & Vincent. Caroc. decis. 120. n. 26.*

L X I V.

Postremò denique & quarto foris & inter Exteros Legato debetur *Securitas.* Idque non ex Gentium tantum Jure, *l. ult. ff. h. t. c. 9. in fin. distinct. 1.* Sed etiam Divino, *2. Samuel. c. 10.* Civili, *d. l. fin. ff. h. t. l. 2. §. 5. ff. de Judic. l. 7. in fin. ff. ad L. Juliam de Vi publ. & Canonico, d. c. 9. in fin. distinct. 1.* Cum quibus historia Universalis ex asse conspirat. Cum, ut habet *Procopius lib. de bell. Gothic.* nulla unquam fuerit natio tam barbara, cui caduceum non fuerit sanctum, quæve Legatos præcipuò cultu non habuerit.

L X V.

Debetur, inquam, Legato securitas, seu *Togatus* ille fuerit, seu *Belli-*





*Bellum.* Nec enim hostium Legatus, hostis & ipse censendus est, sed æquè sanctus, ac is, qui ab amico mittitur. *l. fin. ff. h. r.* Vid. *Gentil. h. lib. 2. c. 13. Besold. ibid. c. 5. n. 10.* Et debetur quidem non solum Personæ Legati, sed & ejusdem Comitibus, *l. 24. §. 1. ff. de judic. l. 6. §. 1. ad L. Jul. de vi public. l. 32. ff. ex quib. caus. maj. & rebus, seu bonis, mobilibus tamen, l. 8. C. de Vectigal. Livius. dec. 1. lib. 1.* Jure accessionis, *c. accessorium 42. de R. 7. in 6.* quicquid hætenus obloquantur alii: interque eos & *Aerod. lib. 10. tit. 15. c. 15.* quos vel dicti textus ampliter confutant. Vid. tamen & *Alberic. Gentil. d. l. 2. c. 15. Kirchn. ibid. lib. 2. c. 1. in fin. Becht. de salu. Conduct. th. 87. Gail. lib. 2. Obs. 68. Besold. h. c. 5. n. 12. & Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 8. & 9.*

L X V I.

An & quibusvis aliis, ad domum Legati, delicti v. g. aut aliâ de causâ, confugientibus? Vix dixerim. Neque enim istud Juris Gentium ratio suadet, ut ait *Grot. d. l. n. 8.* Confer tamen *Paschal. h. c. 37. & Ant. tr. de Jur. int. Gent. p. 2. §. 4. q. 21.*

L X V I I.

Consistit autem debita Legatio Securitas. *l. in tuto. & securè facièndo itinere.* Id quod evidenter satis adstruunt textus laudati *supra th. 62.* qui vel maximè itineris securitatem respiciunt, utpotè sine quâ Legationes sine & effectu suo potiri neutiquam possent. *arg. l. 2. ff. de jurisd.*

L X V I I I.

Et hoc respectu habitò ad Eum, Ejusque territorium, ad quem Legatus mittitur, dubitationis est expers. An verò eadem securitate gaudeat etiam iter faciens per territorium *tertiæ*, ad quem missus non est, an potius ab hoc, salvò Jure Gentium, possit intercipi? non æque expeditum; imò acerrimè olim controversum est inter *Carolus V.* Imperatorem, & *Franciscum I.* Galliarum Regem, Cum ille *Tregasium & Rinconem* Francisci Legatos, occultè per Italiam ad Turcam contententes, inibi que multa in perniciem Imperatoris & Imperii, imò totius Orbis Christiani molituros, capi, occidi que jussisset. Mihi tamen posterius videtur esse verissimum, vel inde, quòd, ex naturâ relationis, nec Legatus sit regulariter, nisi respectu eorum, ad quos ablegatus est. Vid. *Gentil. h. lib. 2. c. 3. Aerod. rerum judic. lib. 10. tit. 15. c. 18. Besold. h. c. 5.*





n. 18. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 18. n. 5. & Aut. tr. de Jur. int. Gent. p. 2. f. 4.  
9. 18. Quidni ergo ad hostem missus, aut hostilia moliens Legatus, ju-  
re præsertim defensionis, queat intercipi? Ad hostem, inquam, missus,  
&c. Nam, si non ad hostem eat, nec ut contra Principem, per cujus  
territorium transit, aliquid moliat, Legato, etiam ad se non venienti,  
multa omnem præstare Principem debere, in propatulo est, ut ait Pa-  
schal. h. c. 30. & post eum Besold. h. d. c. & n. Confer Kirchner. hic lib. 2.  
c. 1. n. 7. & seqq. & Bortius ap. Arumann. tom. 1. discurs. 14. thas. 16. lit. 6.

L X I X.

II. Dehita Legato Securitas consistit in *secure commorando* in lo-  
cò, ad quem missus, per tempus Legationis durantis. l. 7. §. 1. ff. ad L.  
Jul. de Vi publ. Et hæc quidem Securitas, Jure Gentium stabilitur in  
tantum, ut, etiamsi, pendente legatione, provocatione fortè utriusque  
partis, ad arma deventum sit, aut alioquin faces belli subito exarserint,  
tamen Legati, etiam inter ipsa etiam tela, inviolabiles esse debeant.  
l. fin. ff. h. t. licet aliàs olim, hòc casu, apud hostem deprehensos, hostes  
factos fuisse, testentur l. 12. in pr. ff. de Capt. & postlim. revers. & l. 15.  
ff. de Tutelis.

L X X.

In specie. Legatus tutus est, ab omni actione, quã alias posset con-  
veniri, l. 2. §. 3. & 4. l. 8. l. 24. §. 2. ff. de judic. l. 12. in pr. ff. de accusat.  
Idque liquidum quidem est ratione contractuum antè Legationem,  
etiam eò ipso in locò, ubi, legationis causa moratur, initorum. Sed  
non æquè ratione eorum, quos Legationis tempore iniit. Vel ex  
his enim Legatum in locò, ubi Legationem obit, actione Civili con-  
veniri posse, enixè contendit Gentil. h. lib. 2. c. 16. & 17. juxtaque  
cum hòc, Paschal. ibid. c. 73. & quidem per textus & rationes in l. 25.  
ff. de judic. l. 24. §. 1. ff. de minoribus l. 11. ff. ad SCtum Vellej. l. 12. §. 1. ff. de  
admin. tutel. Contrarium tamen, dubio procul, est verius. Quia nimi-  
rum Legatus totus est æstimandus ex personâ ejus, quem repræsen-  
tat. Qui cum sit absolutus, & ad eò actione Civili conveniri, cogique  
non possit: nec Legatus poterit. Nihil penitus obluantibus dictis  
textibus & rationibus. Quæ non ad nostrum hunc, sed Provinciales aut  
Municipales Legatus, pertinent. Vid. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 18. n. 9.  
& 10. ibiq. Felden, in notat. & Aut. tr. de Jur. int. Gent. p. 2. sect. 4. q. 20.

L X X I.

III. denique debita Legato Securitas consistit in *liberè & secure*  
*redenn-*



reduendō ad mittentem. Securitas enim veniendi, recedendi etiam securitatem includit, l. 3. C. d. navicul. l. 4. in fin. C. de Commerc. c. innovamus 2. X. de treug. & pac. Vid. Kirchn. h. lib. 2. c. 9. n. 40. & seqq. Besold. ibid. c. 5. n. 11. & Arum. Vol. 2. discurs. 5. n. 52.

L X X I I.

Et hæc, quæ de debitâ Legatō Securitate hætenus dixi, tam firma & fixa sunt apud omnes gentes, ut, omnibus bellorum denunciationibus & conventionibus tacitè inesse intelligantur, licet expressa hujus rei mentio facta non sit. gloss. in l. Conventionum §. ff. de pact. & in l. 18. ff. de jurisd. Interim verò ut Legatus salutis suæ quàm plenissimè consulat, providè fecerit, si prius impetret fidem publicam, seu *salvum Conductum* expressum, & perspicuis constantem clausulis, tam recessum, quam accessum concernentibus. Quod & hodiè plerumque fieri amat. Licet enim tradita hætenus de Jure sint verissima, tamen *Cranzius Sax. lib. 11. c. 28.* non sine ratione monet, quòd militares Viri suum habeant genus interpretationis, in explendâ fide, quæ in nullis Codicibus inveniatur, ut ita abundans cautela, maximè apud eos, non noceat. l. 17. C. de Testam. Vid. *Besold. h. d. c. 5. n. 10. & Paschal. ibid. c. 22.*

L X X I I I.

Planè, ut Legatus hæc tam insigni securitate fruatur, illud præprimis requiritur, ut *verè sit talis*. Undè quidem ultrò fuit, eandem non deberi omnibus iis, qui vel *mentiuntur* se missos & Legatos, cum tamen missi non sint, vel missi quidem sunt, sed ab iis, qui Jus mittendi non habent. De quibus utrisque vid. *Gentil. lib. 2. c. 2. & seqq. Hottom. ibid. c. 4. n. 18. & seqq. Paschal. ibid. c. 74. Besold. ibid. c. 5. n. 18. & c. 3. n. 5. Kirchn. ibid. lib. X. c. 3. n. 59. & seqq. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 18. n. 2.*

L X X I V.

Imò, ut verè quoque talis Legatus tantæ Securitatis sit capax, oportet, ut dignam Legatō Personam exhibeat, & Jus gentium ipse prius delinquendō non violet. Sin, tantùm abest, ut debita alias Jure Gentium Securitas eidem præstanda sit, ut, salvâ potiùs illâ, licenter jam detineri, & causâ cognitâ, scelerisque convictus, etiam in locò delicti, ad supplicium rapi possit & debeat. Ita nimirum postulat publicæ disciplinæ vigor l. 9. §. 5. ff. de public. & Vectigal. Ita tuitio Jurisdictionis, quæ



quæ quanivis Magistratum decet *l. 6. in pr. ff. de Jurisdic. etiam erga extraneos, l. 3. ff. de Offic. Presid. l. 11. ff. de Custod. reor.* Imò etiam erga Legatos, ne patrociniis ipsis impertiendo, crimina maturare faciat *l. 6. C. de defens. Civit. & sub prætextu concessi privilegii, flagitiorum crescat autoritas, aut publica vacillet Utilitas. l. 2. C. de priv. scholar.* Ut rationes egregias alias fileam, quarum congeriem exhibet *Becht. de securit. c. 5. & 2. n. 183.* Nemo mihi hîc objecit Personam ejus, quem repræsentat Legatus, in quem utpotè Absolutum, jus pœnæ non sit ei, ad quem missus est. Nam imò & in Absolutum ipsum, in alièno territorio delinquentem, jus pœnæ esse, Unanimis Doctorum saniorum sententia est. subnixa & Jure *clém. Pastoralis. de re judic. & seculorum ferè omnium praxi, ut videre est, ex Alberic. Gentil. de jur. belli. lib. 3. c. 7. Reinck. de regim. sec. & Eccles. lib. 2. class. 2. c. 17. n. 103. & Norderman de jur. Principat. Conclus. 49. lit. b. Confer Hottom. h. c. 4. Alber. Gentil. ibid. lib. 2. c. 18. & seqq. Brun. ib. lib. 4. c. 4. Paschal. ib. c. 74. Besold. ib. c. 5. n. 19. & seqq. Arum. vol. 1. discurs. 22. & ad A. B. disc. 7. th. 21. Aut. libelli, qui inscribitur Quæstio vetus & nova: An Legatum & c. & , dissentiens quodammodo Grot. d. J. B. & P. lib. 2. c. 18. n. 4.*

L X X I V.

Hoc ipsum tamen, quod dixi, restrictum unicè velim ad Legatum contra *Jus Gentium*, delinquentem. Quod quidem fecisse intelligitur toties, quoties vel contra eum, ad quem missus est, hostile quid molitus fuerit, ipsive realem aliquam injuriam intulerit; vel delictum aliquod jure tum divino, tum naturali capitale, latrocinium, v. c. homicidium, veneficium, aut id genus aliud commiserit. Quoad cætera delicta, potius est, ut pareatur Legato. Quod & monet *Besold. d. l. n. 24.* Imò in delictis quoque contra *Jus Gentium* commissis, ut, religione & intuitu *Juris Gentium*, benigniùs cum Legatò agatur, nec pœna nimium exasperetur, rationis est. Licet enim illud Legatum delinquentem non ampliùs tanquam inviolabilem tueatur, in puniendo tamen eò provinciæ gestatæ memoriam reservat, non secus ac *Jus Civile & Canonicum* in pœnis decernendis gestæ dignitatis memoriam respicit. *l. 16. §. 3. l. 28. in fin. ff. de pœnis. c. ult. X. de pœnis. c. pastoralis in fin. X. de off. & pot. Jud. del.*

L X X V I.

Extra hos verò casus, si de facto Legatus violetur, seu facto, seu verbis



17  
verbis, seu utroque id fiat, de quo quidem vid. omninò *Paschal. h. c. 24.*  
& 25. & sive quidem autoritate publicâ, sive per privatam duntaxat,  
Jus Gentium foedissimè pollutum, censetur, & justissima inde bolli cau-  
sa nascitur, arg. *c. Dominus caus. 23. q. 2. 2. Sam. 10.* Dummodò, si à pri-  
vatò facta fuerit violatio, Princeps aut Respublica eundem nec de-  
dat, nec punit, quò ipso crimen mandasse videntur. arg. *l. fin. C. ad*  
*Scrum Macedonianum. c. 10. X. de reg. jur. & l. 1. §. 14. ff. de vi & vi ar-*  
*mat.* Vid. omninò *Brun. h. lib. 4. c. 3. Hottom. ibid. c. 4. Gentil. ib. lib. 2. c. 13.*  
& 14. *Paschal. d. l. Kirchner. lib. 2. c. 1. n. 48: & seqq. Schoneborn. 3. polit. c. 27.*  
& *Besold. h. c. 5. n. 15.*

L X X V I I.

An autem Violatori Legationis talio reddi possit, aut debeat?  
Nec potest, nec debet. Quicquid hætenus adferant *Gentil. h. lib. 2. c. 6.*  
& alibi, Quos vel illud abundè confutat, quod hic agatur de præjudi-  
ciò non solum Domini mittentis, sed etiam tertii, Legati sc. innocentis,  
qui semel securitatis jus etiam pro suâ Personâ acquisivit, quod ipsi fa-  
ctò alterius, Domini nempe sui, auferri nequit, arg. *l. 11. ff. de R. §. ult.*  
*Inst. de his qui sui vel al. juris. Fac. omninò l. 26. ff. de Pœnis & argumen-*  
*ta complura alia, de quibus vide Arod. rer. judic. lib. 10. tit. 15. c. 19. Be-*  
*sold. d. c. 5. n. 16. & Schubhard ap. Arum. vol. 1. discurs. 29. conclus. 22.*

L X X V I I I.

Commendavi hætenus prolixè satis, ut opinor, Privilegia, quæ  
*foris* & inter exteros Legatus sibi vendicat. Latus quoque jam hîc se a-  
perit disferendi campus de privilegiis illis, quæ, & à jure quidem *Civili,*  
*domi* & inter concives suos obtinet.

L X X I X.

I. Inter hæc autem *primum* est, quod si per absentiam læsus fue-  
rit Legatus etiam absens defendi possit. *l. pen. ff. de legat. l. ult. ff. de in in-*  
*tegr. restit. l. 6. §. 1. ff. de quib. caus. in possess. eatur. Mauritius. tr. de resti-*  
*tut. in integr. c. 422.* Sed si non legitime defensus fuerit, an tamen resti-  
tuatur? quæritur, Affirmo: Sub distinctione tamen: Vel enim absens  
est indefensus, aut non legitime defensus, & tunc restituitur veniens,  
si petat, ad totam causam, vel absens est defensus per suum Procurato-  
rem, vel per se ipsum usque ad conclusionem in causâ, & tunc non re-

E

stitui-

*absens damnatus*



stituitur ad totam causam, sed tantum ad appellandum. *gl. ad verb. in defensu l. 1. C. ex quib. caus. maj.* Atque ita ex modo dictis haud dubie constabit, Legatos absentes non tantum defendi ac restitui, sed & si velint jura sua persequi, per negotiatorem rem acquirere, & usucapione praescribere posse. *l. 30 ff. de acquir. vel omitt. hered.*

II. *Secundum* Legato indultum Privilegium est, quod Legatione feliciter apud externos defunctus, sumptuum, quos expendit restitutionem a Principe cuius est Legatio, exigere possit, cum lege Romanae severe cautum sit, quod a Principe & communitate, qui Legatum ad alium Principem miserunt, non sumptus tantum, quos durante legatione fecit sed & omne rerum dispendium, quod occasione Legationis passus est, Legato resarciendum sit. Textus est in *l. sicut 7. ff. Quod cuiusq. universi. nomine, l. 1. C. ex quib. caus. maj. in integr. restit. Cravetta Consil. 525. Becht. disp. de securit. & salv. Conduet. th. 179.* quod privilegium extenditur, ut etiam Legatus, qui in itinere spoliatus, vel alio casu res itineris subeundi causa necessarias amiserit, plane restituere non teneatur, cum mandatarius indemnis praestari debeat, a sumptibus factis & damno, in quod ex causa rei mandatae incidit. *l. 26. §. 6. ff. mandati. Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 12. n. 13.*

III. *Tertium*, privilegium facio, quod in munere Legationis, antequam ad Patriam vel Principem suum reverteretur, Legatus decesserit, sumptus qui proficiscenti sunt dati, non restituantur. *l. 10. ff. de legat. l. 2. C. eod. d. l. 26. §. 6. ff. mandati.* Unde & *Bartol. ex d. l. 2. C. de Legation.* colligit, quod si Legatio duobus sit injuncta, & unus eorum decessat, ante Legationem impletam, quod tunc Legativum sive salarium defuncti superstite haud accrescat, qui solus postea legationem obiit & implevit.

IV. *Quarto* loco & illud adjicio, quod Legati, quamvis extra imperii fines discurrant, perpetuo tamen libertatem, jusque Civitatis retineant, atque ob id etiam legare, testamentum condere, & ex testamento alterius capere possit, jusque in filios & familiam retineant, vid. late de hac materia disferentem *Hottom. hic c. 4. n. ult.*

V. Tandem accedit & *Quintum*, Legatum sc. legatione feliciter functum, plane non posse cogi, ut in partem publicorum onerum & negotiorum veniat per totum biennium, quod ipsi indultum referente *Paulo*



Paulo in l. 12 ff. de vacat. & excusat. muner. & in l. 8 ff. de Legation. adde  
l. 2. C. de munerib. & honor.

L X X X.

Poterunt hæc, quæ dixi, de Immunitatibus Legatorum, quæ ipsis, de Jure Civili, domi & in patriâ competunt, pro ratione instituti mei, sufficere, quibus quidem plures annectere possem; Sed illæ evolventibus legum Romanarum monumenta, liquidæ statim & fortè leviores erunt, quàm ut religiosè omnes à me debeant colligi & hîc referri. Et quoniam adhuc restat, ut delineem in quibus potissimum consistat Legatorum *Officium*, rei me jam adducit necessitas, ut illud paucissimis saltem verbis non dissimulem.

L X X X I.

In duobus autem præcipuè Legati *Officium* consistit. Primum quidem & potissimum est, ut mandata Legationum *diligenter* & *ex fide* exequatur. A mandatò enim vim omnem habet Legatus. Quodque militi arma, gubernatori clavus, hoc Legato sunt mandata; ut verè non minùs, quàm scitè ait *Paschal. h. c. 21. confer Kirchm. h. lib. 2. c. 6. & Genzil. ib. lib. 2. c. 15.*

L X X X I I.

Et hoc quidem nihil penitùs recipit dubii, si executio mandati cum utilitate mittentis conjuncta sit? Sed quid si publica utilitas aliud fortè, aut saltem plus minùsve, quàm in mandatis est, suadeat? An tum Legatus præter mandatum aliquid agere poterit? Ego pro *negativâ* calculum depono, cum sanioribus omnibus. Si enim ea mandatorum omnium, etiam inter privatos, est conditio, ut eorum fines strictissimè sint custodiendi, *l. 5. in pr. & passim. ff. mandati §. 8. Inst. eodem.* quantò magis in Legationibus res concernentibus publicas, mandatis superiorum est inhærescendum? Dum tamen mandatum sit *certum* & *definitum*. Nam quibus *absolutum* & *liberum* datum est mandatum, pro prudentiâ & arbitrio, possunt, facere omnia, quæcunq; fuerint è re mittentis. Vid. *Flottom. h. c. 3. n. 2. & seqq. Paschal. ibid. c. 56. Eberhard à Weihe in Aulico-Politico axiom. 133. & seqq. Kirchner. hîc d. lib. 2. c. 6. n. 16. & seqq. Besold. ib. c. 7. n. 3. & Aut. tr. de fur. int. Gent. p. 2. §. 4. q. 14.*





L X X X I I I.

Illud quoque non abs re quaeritur, cum duplex non raro Legato mandatum detur, apertum unum, alterum arcanum, secundum tradita *supra*. An mittens ex eo teneatur, quod Legatus agit praeter mandatum arcanum? Ferdinandus sane & Isabella Reges Hispaniae pacem factam ab Archiduce Austriae, eorum genero, qui mandatum satis amplum habuit, ratam habere abnuerunt, quod contra mandata arcana pepigisset. Sed male, ut inquit *Gentil. h. lib. 3. c. 14.* & contra ea, quae decent Principem, Cujus unus calamus una lingua esse debet: Horum autem duo calami duae *linguae*; & quod intolerabilius, alter calamus, altera lingua hosti ignota est. Quae ratio si accipiatur nullum certum foedus iniri potest. Gemina hisce habet. *Hugo Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 17.* Quibus ex asse subscribo.

L X X X I V.

*Alterum* vero Legati Officium palmarium est *Renunciatio*. Est autem ejusmodi *Renunciatio* omnium in legatione gestorum, apud mittentem missi solenniter facta commemoratio. Unde non tantum recensent ea, quae ad mandati expositionem, auditionem & responsionem pertinent, sed & quae ad honorificam exceptionem, ad mores & ingenia eorum, ad quos missi fuere ad eorundem Opes ac potentiam, leges & statuta spectant. Brevibus nihil Renunciator fidelis simulare nihil dissimulare & celare debet, sed omnia candidè & sincerè referre, quaecumque referre Republicae intererit. Vid. latius haec exequentem *Kirchner. hic lib. 2. c. 10. & Brun. ib. lib. ult. c. 22.*

L X X X V.

Haec si praestiterit, tum demum rectè administrata Legationis praemia *Legatum* excipient. Obvia ipsi erunt laudes, & praemia, conferentur in ipsum, tanquam in bene meritum, honorifica munera, tanquam merces eximii laboris. Tandem & reportabit non contemnendam prudentiae, fidei, virtutisque omnis probatae perspectaque apud Exteros, commendationem, magnificam sane, omni que cippo & statuâ, omni triumpho & monumento gloriosiore. Sed de his ac aliis plura haec vice addere prohibet & reiporis, & instituti mei ratio. Ego ut in omnibus, ita etiam in haecenus traditis, rectius sentientium  
elimato





elimato iudicio me reverenter submitto. Non enim pigebit unquam,  
sicubi hæsitavi, quærere, nec pudebit, sicubi erravi, discere.



ANDREAS FRIDERL  
CUS MAGIRUS

*Anagrammatismus mutato F in V.*

Sic vir magnus redderis : arva.

**O**mnia longa dies ac insidiosa senectus  
Carpit, quæ nimium mobile vulgus amat.

Non sic ingenium longo corrumpitur ævo:

Hoc solum mortis conditione caret.

Famaq; ab ingenio rectè quæsitæ vel arte

Doctâ, perpetuos durat ad usq; dies.

Hæc est meta Tibi præfixa, MAGIRE, Parentis

Nobile cor, Generis flosq; decusq; tui:

Quando novenarum sectaris castra Sororum

Et vigili Themidem strenuitate colis.

Id quod testatur Tua disertatio præsens

De Legatorum Jura vel officiiis.

Quis stirpi fructum, flores quæ monstrat apertos,

Aut ubi gemma tumet, deneget arboribus?

Quis de fruge tuâ jam non bene speret: alacris

Indolis aspiciat si documenta tuæ?

Macte, Magire, tuis donis! Sic inde per amplos

Percipiet fructus Aula vel Imperium:

E 3

Sic





Sic vir præclarus, magnus redderis in orbe,  
Si sacra porrò coles strenuus arva Dica.

ita ominatur

PETRUS HAFNERUS, Cūstri-  
no-Neomarchius.



AD

Politissimum Dn. Respondentem, sym-  
patriotam amicissimum,

*Epigramma gratulatorium.*

Conatum laudare Tuum, Magire, volebam,  
At rupit telam mox Themis alma meam,  
It benè, ait: cœpto studii si tramite perget,  
Tempore, juro, brevi, me duce magnus erit,  
O fortunatum! Cui se sic obligat illa  
Et œertum spondet Diva patrociniū

*l. m<sup>q</sup>. f.*

FRIDERICUS WILHELMUS BERGIUS.

F I N I S.









Perfor. per. Orientalis ne  
21.





X 261 5933

W 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

*Gent. 4, n. 30. 5*

*4*

*1658, 2*

PURIDICA.

ATORUM.

ANTE GRATIA

SIDE

*simo, ac Consultissimo*

ANNE

ORNMANNO,

*n inclyta Academiâ*

*t Celeberrimo,*

*ore suo atatem*

*do,*

*m Auditorio*

*ensura submittit*

ICUS MAGIRUS,

NSIS

T RESP.

*ris horis consuetis.*

*s. M. DC. LVIII.*

ATORVM.

MADEWITZII, Acad. Typogr.



*Monsieur le Baron d'Leiden*

